







DE  
ILLUSTRISSIMIS RUTHENIS  
QVIBUSDAM, SOLIDA ERUDITIONE  
QVONDAM AC HODIE INCLUTIS,  
DISSERTATIO,

<sup>QVA</sup>  
PRAECELSOS COMITES AC DOMINOS  
**DN. HEINRICUM II.**  
UTRIUSQUE PROSAPIÆ SENIOREM,  
**DN. HEINRICUM III.**  
JUNIORIS LINEÆ SENIOREM,  
**DN. HEINRICUM X.**  
**DN. HEINRICUM XI.**  
<sup>NEC NON</sup>  
**DN. HEINRICUM XII.**  
<sup>AC</sup>  
**DN. HEINRICUM XXII.**  
EJUSDEM JUNIORIS LINEÆ  
**RUTHENOS,**

COMITES AC DOMINOS A PLAVIA, DOMINOS IN GREI-  
ZA, CRANNICHFELDA, GERA, SCHLEIZA ET  
LOBENSTEINIO, ETC.

GERÆ JAM PRÆSENTES,  
**DOMINOS PERCLEMENTES AC GRATIOSISSIMOS,**  
DEINDE

**ORDINARIOS DNN. INSPECTORES,**  
ac tandem  
OMNES OMNIUM ORDINUM HONORATISSIMOS VIROS,

*Ad Actum Oratorium,*  
<sup>DE</sup>  
**PRINCIPUM ERUDITIONE,**  
cras, cum DEO,

*NOBILISSIMIS QVINQUE ADOLESCENTIBUS,*  
habendum,

*qua par est, humilitate, observantia & humanitate*

**INVITAT**

**M. JO. FRIDERICUS** *rector*  
Illustris Ruthenéi **RECTOR.**

**GERÆ, CHARACTERE WESTHERIANO.**





Inxit non ex cerebro quidem suo, sed ex cortina  
pronunciavit tanquam oraculum, Plato, quasi  
quidam Deus Philosophorum; non prius cessa-  
tura inter homines mala, quam aut homines recte  
verèque philosophantes, capessant fasces, aut im-  
perio admoti divina quadam sorte, exacte philo-  
sophentur. Multum quippe interest ad laudem  
& gloriam Principis, nec parum è re omnium  
communi est, plurimumque emolumenti pro-  
mittit, si, quorum provisionibus atque consiliis, tutelæque & curis vi-  
tam, salutem, securitatem ac statum subditi debemus, non magis nata-  
lium splendore, antiquitate generis & fama majorum, quam eruditio-  
ne, doctrina & sapientia, tanto fastigio digna, emineant præ aliis atque  
excellant. De quo ut luculentius constet, non ibimus in vetustissimos  
vel Graecorum vel Romanorum annales, cum domi & inter Germa-  
nos nostros, principem Europæ populum, & in ipsa ILLUSTRISSI-  
MORUM RUTHENORUM gloria & meritis decantatissima GEN-  
TE, satis exemplorum occurrat, quibus ostendi sine negotio potest;  
Principum ac Dynastarum culmina non indicere solidæ eruditionis  
laudem. Itaque sistam nunc in proscenium nonnullos (quis enim  
omnibus recensendis ac depraedicandis sufficiat?) ex PRÆCELSIS RU-  
THENIS nostris, qui variarum rerum scientia ac eruditione singulari  
celebres fuerunt, magnumque sibi nominis pepererunt decus. Præ-  
terimus, quamquam inviti, quod ILLUSTRISSIMORUM COMI-  
TUM nostrorum Majores omni laude mactandi, sed & omni majö-  
res, nomine & officio Sacri Romani Imperii Advocatorum, jam olim,  
nec sine immortali gloria, gavisi sunt, certisque præfecti provinciis, eâ  
justitia, æquitate ac prudentia excelluere, ut, quos pares hisce ponas, dif-  
ficulter, quos superiores, nusquam ferè invenias. Certe ad tantam di-  
gnitatem non modò fortitudine ac peritia militari illustres, sed & cum  
primis eruditione, sapientia, aliisque animi dotibus conspicuos Heroas  
electos fuisse & evectos, nemo fortassis, harum rerum paulò peritior,  
negatum ibit. Latere patimur ex Seculo tertio decimo HEINRICUM,  
cognomine Divitem, cui Franciscus Samsovinus, Historicus Italus,  
hoc tribuit encomium, quod nemini rariora, spectatoriaq; vel cœle-  
stis gratiae, vel ardentis naturæ ingeniiq; preclari dona contige-  
rint, quam isti. Quæ sine insigni eruditione non fuisse, tam in pro-  
clivi est, quam imber est, quando pluit. Neque verò dignè satis com-  
memorari in tanta brevitate, qua constricti sumus, potest HEINRI-  
CUS, Burggraviatus Misnensis axiomate illustris, Imperatoris glorio-  
sissimi Sigismundi Judex Aulicus, nec HEINRICUS GERENSIS, Ele-  
ctoris Saxonis Friderici II. Orator, quo nomine eum expresse dignatur

Geor-

Georgius Fabricius, à quo in conventu Molhusiano accuratè, præclarè ac eruditè Electoris res feliciterq; actas contra fratrem Wilhelmum, ejusque Advocatum, virum ecclesiasticum, penes cuius generis homines regnum eruditionis tunc stetit, fuisse, idem prolixè commemorat. Accedendum igitur proprius ad tempora nostra est, quæ exactius, quam prisciora illa, quicquid laude dignum est, recensent. Superiori ergò Seculo ex Burggraviis Misniæ, HEINRICUS V. & VII, Consilia-rii Imperiales, ille etiam supremus Regni Bohemici Cancellarius fuit. Ecquis verò hos, qui Consiliorum & operum maximorum Coadju-tores potentissimis Imperatoribus & Serenissimis Regibus, ac alteræ velut cervices tanta cum gloria adstitere, rudes putet fuisse litterarum, & à sapientia tenuiter instructos? Nemo, opinor, nisi cui rudis planè & inconditus sensus est. Denique in hoc præsenti Seculo, quot vixere RUTHENI CELSISSIMI, tot propemodùm si non eruditos Dynastas, tamen eruditorum Mæcenates summos ac benignissimos numeramus. Et hīc velut inter ignes Luna minores, quibus noctis tenebræ illustrantur, eminet ILLUSTRISSIMUS HEINRICUS co-gnomento POSTHUMUS, nulla unquam ætate silendus Heros, & ob exempla virtutum maxima, quæ dedit, citra summas laudes nunquam commemorandus. Qui nisi excellentissimis ingenii dotibus, nisi prudentia singulari ac eruditione exactâ polluisset, nunquam utique factum fuisset, ut trium Imperatorum Romanorum Consiliarius esse cum summa nominis gloria potuisset. Admodum adolescentulus in Academiis, Argentoratensi præcipue, quæ tūm Studiosorum Juve-num multitudine, & septem cummaxime Principum ac tringita trium Comitum, Baronumq; celebritate gaudebat, eas sibi comparaverat no-bilioris eruditionis opes, ut explicare illas ingenti cum Nominis & im-mortali gloriâ posset. Testantur hoc orationes, quas in laudatissima Aca-demia cum applausu habuit summo. Ære verò perennius monumen-tum extat, Ruthenéum nempe illustre, idque per Dei gratiam satis flori-dum ac celebre, in quo quotiescumque ad eruditionem solidam præ-paratur studiosa pubes, toties Musagetæ beatissimi amor & eruditio ta-cita quasi voce celebratur. Hic certè (quod non malè facundissimus Orator dixit) *Scholaſticis non haras, ſed aras, non caulas, ſed au-las, non casulas & tuguriola, ſed domos propè dixerim Augustales & magnifica Palatia excitavit.* Hæc verò LAUDATISSIMI HEROIS gloria eò augetur magis, quòd inter ILLUSTRISSIMOS FILIOS ac NEPOTES nec defuerint, omni doctrina erudit, nec ho-dienum defint. Nam quid dicam BEATISSIMUM HEINRI-CUM X. maximum illud ac propè unicum pietatis, comitatis ac eru-ditionis instar? Quoniam hic, cum juvenis admodum in alma Philu-rea operaretur litterarum studiis, non ſemel ex Cathedra cùm diſputa-

149 118 JK

itoria, tūm & oratoria dotes animi, quas admirabiles à benigniori natura  
fortitus erat, explicuit, tunc præcipue, cum habens moderari Academi-  
cas ingrederetur; ecquis eum laude eruditionis, ecquis gloria doctrinæ  
defraudabit? Et quid commemorem MAXIMI PARENTIS non mi-  
nores FILIOS, ILLUSTRISSIMUM imprimis COMITEM ac DO-  
MINUM, DOMINUM HEINRICUM III. DOMINUM meum  
PERBENIGNUM ac GRATIOSISSIMUM? Qui per adolescentulus  
& decennis quidem, in aula Lobensteinensi politissimam, non sine gau-  
dio insigni PRÆCELSORUM PARENTUM, habuit orationem.  
Idem cum ILLUSTRISSIMO FRATRE DOMINO HEINRICO V.  
jam pridem beatissimè defuncto, vim capacissimæ indolis in omnido-  
ctrinarum genere felicissimo successu agitabat & exercebat, ut, post-  
quam è Gymnasi nostri Cathedra suæ valedixisset Patriæ, non cruda,  
sed matura studia in Academias exteris, Tbingensem præcipue Ger-  
manam, & Gallicam, quæ Flexiae est, non propelleret, sed transferret.  
Vestigiis hisce, tām laudabiliter pressis, egregiè posteà institit ILLU-  
STRISSIMUS COMES ac DOMINUS HEINRICUS X. viva spi-  
ransq; Imago DESIDERATISSIMI PARENTIS, qui, dici non potest,  
quanto impetu ac fervore ad eruditionis consummatæ laudem grassa-  
tus sit, non domi solum, sed & in variis Europæ provinciis, Gallia, Italia,  
Morea, Belgio & Anglia, aliisque regionibus cultioribus, quas tanquam  
Ulysses alter, Deo adstite, comite fortunâ, ut & eruditionem & prudentiam locupleta-  
ret ex voto, peragratus est. Non erit dividiæ, si ex ILLUSTRISSIMA STIRPE SENIO-  
RE, quia meretur, addam DOMINUM HEINRICUM XIII, quem non modò à primis,  
ut Græci dicunt, ungviculis in aula Serenissimi Duci Brunsvicensis ac Lüneburgensis  
RUDOLPHI AUGUSTI ad virtutes Heroicas, præcipue ad egregiam eruditionem e-  
ductum, sed & per annos admodum quatuor, eadem benignitate, in spem celsi gene-  
ris & gloriam majorum interioribus litteris probè innutritum non ignoramus. Cu-  
jus divinam memoriam, singulare studium, quo diebus noctes conjungebat locu-  
brando, & impetum ad laudatissima quæq; incomparabilē commendat quidem Hein-  
ricus Meibomius, illius in alma Helmstediensi hospes, nec commendare satis ac de-  
prædicare potest. Documentum sanè perquam illustre suæ in rem litterariam clemen-  
tiæ Idem semel atq; iterum dedit, quod ad Collegium Ruthenicum gratiosissimè in-  
visit. Itaque quam gloriam ILLUSTRISSIMI COMITES ac DOMINI RUTHENI pro-  
barunt haec tenus, eam, quotiescumque & quibus poterunt modis, suis cum maximè  
BENIGNISSIMIS DOMINIS ac NUTRITIIS circumfundet, quod Eorum per clemen-  
tiæ suæ foveatur, Ruthenæum. Et ideo veniam clementissimè dabunt ILLUSTRISSIMI  
COMITES AC DOMINI UTRIUSQUE LINEÆ RUTHENI, DOMINI A PLAVIA,  
DOMINI IN GREIZA, CRANNICHFELDA, GERA, SCHLEIZA ET LOBENSTE-  
NIO ETC. DOMINI GRATIOSISSIMI, quod, quoniam EORUM exoptatissimâ præ-  
sentiâ nunc Gera gaudet, suumq; effert caput, occasione, divinitus oblatæ, intentum,  
non nihil Gratia decerpere inde sibi, modestia quidem & submissione debitâ, audeat  
illustre Ruthenæum. Qua de causâ NOBILISSIMOS quosdam ADOLESCENTES  
de Principum eruditione inter se disceptantes in cathedrâ fistet publicâ, ita, ut post Pro-  
logum CHRISTOPHORUM ADAMUM à Dobeneck/ EQ. VAR. JO. CHRISTOPH. à  
Carlowitz/ EQ. MISN. problema proponat; cuius deinde affirmativam CHRISTOPH. FRI-  
DERICUS à Tettau/ EQ. MISN. negativam vero ERNESTUS à Gustedi/ EQ. SAXO  
tuebitur: quam controversiam antea laudatus CARLOWIZIUS decidet: tandem IL-  
LUSTRISSIMO, ac in universum LECTISSIMO AUDITORIO gratias, quas par est,  
nuncupabit HEINRICUS ANTON. von der Delfniß/ EQ. VAR. Ut igitur PRÆCELS-  
SI HEROES, arduis rebus aliis, quibus nunc propter egregium publicum distinen-  
tur, vel horulam subducant, gratiosissimè Ruthenæo suo commodandam; id vero  
est, quod humillima animi mente precamur. Quod si fit, ut non vana spes est, de RE-  
LIQVORUM HONORATISSIMORUM PATRONORUM ac FAUTORUM præsen-  
tiâ vix habituri sumus, quod dubitemus. P.P. Gerz, XIV. Decemb. A.O.R. 100 loc. XCIII.

**ULB Halle**  
004 975 774

3



Von



W  
118

DE  
ILLUSTRISSIMIS RUTHENIS  
QVIBUSDAM, SOLIDA ERUDITIONE  
QVONDAM AC HODIE INCLUTIS,  
DISSERTATIO,

PRAECELSOS COMITES AC DOMINOS

DN. HEINR. UTRIUSQUE PROSA

DN. HEINR. JUNIORIS LINEA

DN. HEINR.

DN. HEINR. NEC NO

DN. HEINR. AC

DN. HEINR. EJUSDEM JUNIO RUTHENI

COMITES AC DOMINOS A PLAZA, CRANNICHFELDA,

LOBENSTEIN GERÆ JAM PE

DOMINOS PERCLEMENTE DEIN

ORDINARIOS DNN.

ac tandem OMNES OMNIUM ORDINUM

Ad Actum DE  
PRINCIPUM

cras, cum à

NOBILISSIMIS QVINQU habend


qua par est, humilitate, observantia & humanitate

INVITAT

M. JO. FRIIDERICUS

Illustris Ruthenéi RECTOR.

GERÆ, CHARACTERE WESTHERIANO.



KODAK Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2000

Kodak  
LICENSED PRODUCT  
Black

